

suas dictarum treugarum consimiles litteras suo sigillo roboratas, pro et nomine dicti domini regis Francie dicto domino nostro regi Henrico vel suis gentibus tradiderit et liberaverit seu tradi et liberari fecerit, promissimusque et promittimus quod ipsas prefato domino regi Francie vel gentibus suis pro ipso bona fide mittemus vel per dictum dominum nostrum regem Castelle tradi vel mitti procurabimus cum effectu tempore quo fieri poterit breviori. Ad que omnia supradicta per dictum dominum nostrum regem Henricum sic fienda, tenenda et complenda, ipsum virtute dicte nostre procuracionis litterarum, quarum tenorem dicto domino regi Francie sub sigillis nostris roboratum tradidimus, bonaque sua heredum et successorum suorum, quantum possumus, efficaciter obligamus. In cujus rei testimonium, presentes nostras litteras per notarios publicos infrascriptos subscriptas et signatas, nostrorum appensione sigillorum, fecimus munimine roborari. Datum et actum Parisius, in domo domini cancellarii Francie, septima die mensis madii, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo (*sic*) nonagesimo secundo, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri domini Clementis divina providencia Pape VII^{timi} anno quarto decimo, presentibus ibidem discretis viris dominis Petro Fernandi, canonico nostre Ecclesie Zamorensis et Berthino Pulerifamuli, Johanne de Farbus ac Johanne Vigerii Ambianensis, Atrebatensis et Claromontensis diocesum presbiteris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Signum Johannis Roderici de Villaycan.)

Et ego Johannes Roderici de Villaycan, clericus etc..... etc..... in testimonium premissorum.

(Signum Theobaldi Hocie.)

Et ego Theobaldus Hocie, etc..... etc..... requisitus et rogatus.

(Deux sceaux sur double queue de parchemin.)

Archives Nat., J 604, n° 71.

Règlement de comptes entre le roi de France et de Castille.

Paris, 7 mai 1392.

Alfonsus Dei gracia episcopus Zamorensis et Rodericus Bernardi

auditor audiencie serenissimi principis domini nostri domini Henrici Dei gracia Castelle et Legionis regis ad infrascripta procuratores, notum facimus universis presentes litteras inspecturis quod cum prefatus dominus noster Henricus rex nos ambos et nobilem Didacum Fernandi, mariscallum suum, tres aut duos nostrum per suas patentes litteras procuratores suos et nuncios speciales fecerit et constituerit, prout in procuratoriis litteris prelibati domini regis latius continetur quarum tenor de verbo ad verbum sequitur qui est talis :

Henricus, etc. (comme les précédentes datées de Ségovie, 10 juillet 1391)

Nos vero multis causis justis et legitimis nostros animos ad hec moventibus, specialiter cum prefatus dominus Karolus rex Francorum modernus suis liberalitate regia et gracia fraterna dominum nostrum Henricum regem Castelle et Legionis fratrem suum predictum nunc regnantem preveniens, totum et quidquid de summa centum millium francorum auri quam dicto domino Johanni regi dum viveret mutuaverat gracie debetur sibi, deductis tamen et exceptis certis donis et assignacionibus per ipsum et suas litteras super dicta summa centum millium francorum factis, prout in litteris quitancie dicti domini regis expressius continetur, eidem domino nostro Henrico regi fratri suo donaverit, quitaverit et remiserit suas quitancie seu remissionis sufficientes litteras necnon instrumenta seu litteras obligatorias super hoc debito confectas gracie concedendo nobis, tradendas realiter et de facto cancelatas, cupientes hujusmodi largicioni grata et fraterna vicissitudine respondere, omnes et quascumque pecuniarum summas ad quantamcumque quantitatem ascendere possunt in quibus prelibatus dominus Karolus Francorum rex modernus, pro et racione servicionum certarum galearum armatarum quas dominus Johannes quondam rex prefatus dum viveret, quondam domino Karolo regi Francorum ultimo defuncto progenitori suo ac domino Karolo nunc Francorum regi predicto ad opus et servicionum ipsorum diversis temporibus transmiserit, domino nostro Henrico regi predicto moderno sicut dicimus tenetur, prefato domino Karolo regi Francorum moderno nomine prefati domini nostri domini Henrici Castelle et Legionis regis et pro ipso, dictarum nostrarum procuratoriarum litterarum virtute, ex causa predicta remittimus, quitamus et donamus perpetuo, per presentes ipsum heredesque et successores suos quoscumque a debito hujusmodi totaliter absolventes; et juramus in animam dicti domini nostri Henrici regis

quod ipse contra presentem remissionem, quitacionem et donationem nunquam veniet nec venire procurabit palam vel publice quoquomodo et quod quitantie seu remissionis super hoc litteras sui sigilli munimine roboratas dicto domino regi Francorum concedet opportunas, statim cum super hoc pro parte dicti domini regis Francie fuerit requisitus, dictum dominum regem Henricum bonaque sua mobilia et immobilia quecumque heredumque et successorum suorum ad hec tenenda, fienda, et firmiter adimplenda, tenore presencium efficaciter obligantes. In quorum omnium testimonium, presentes nostras litteras per notarios publicos infrascriptos, subscriptas et signatas, nostrorum appensione sigillorum mandavimus communiri.

Datum Parisius, in domo domini cancellarii Francie, septima die mensis madii, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri domini Clementis divina Providencia Pape septimi, anno quarto decimo.

Presentibus ibidem discretis dominis Petro Fernandi, canonico nostre Ecclesie Zamorensis et Berthino Pulcrifamuli, Johanne de Farbus ac Johanne Vigerii, Ambianensis, Atrebatensis et Claramontensis diocesum presbiteris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Signum Johannis Roderici de Villaycan.)

Et ego Johannes Roderici de Villaycan, clericus Burgensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius et secretarius domini Castelle et Legionis regis, premissis remissioni, quitacioni, donacioni et juramento omnibusque aliis et singulis supradictis una cum testibus et notario publico supra et infrascriptis presens fui, eaque sic fieri vidi et audiui, et exinde presens publicum instrumentum propria manu scriptum signo meo, una cum dictorum dominorum episcopi et Roderici Bernardi procuratorum appensis sigillis, signavi solito, requisitus, in testimonium omnium premisorum.

(Signum Theobaldi Hocie.)

Et ego Theobaldus Hocie clericus Autissiodorensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius et secretarius dicti domini regis Francorum, promissionibus, juramentis ac omnibus et singulis suprascriptis cum testibus et notario publico supra nominatis, presens interfui eaque sic fieri vidi et audiui, et in hanc

publicam formam quam per alium, aliis occupatus negociis, scribi feci fideliter redegi, signum meum solitum cum dictorum dominorum procuratorum appensione sigillorum ibidem apponens in testimonium premissorum, requisitus et rogatus.

(Scellé sur double queue de parchemin des deux sceaux de l'évêque de Zamora et de Ruy Bernard).

Archives Nat., J 603, n° 69 *ter*.

45

*Suite de règlement de comptes entre les rois de France
et de Castille.*

Paris, 18 mai 1392.

Cum ad petitionem et requestam domini Alphoncei, episcopi Zamorensis et domini Roderici Bernardi, ambaxiatorum et procuratorum serenissimi principis domini Henrici regis Castelle et Legionis, et per ipsum dominum regem ad illustrissimum principem et dominum dominum Karolum regem Francorum transmissorum, idem dominus rex Francorum totum et quidquid sibi de summa centum mille francorum auri quam bone memorie Domino Johanni quondam regi Castelle, Legionis et Portugalie, dicti domini Henrici regis progenitori, gracie mutuaerat, debeatur et possit deberi, mera et fraterna liberalitate seu gracia, certis causis in suis super hoc confectis litteris donaverit, quittaverit et remiserit, exceptis tamen triginta quinque mille francis per ipsum dominum regem Francorum, super dicta summa centum mille francorum et in ipsius deductionem, certis personis datis et assignatis, videlicet dominis Guillermo de Nailhac et Galchero de Passac, militibus, viginti mille, dominis Jacobo et Moreleto de Monmor fratribus ac Johanni de Baisy eciam militibus, tribus mille, Petro Luppi d'Ayale, militi, decem mille, magistro Roberto de Noyers, electo Evoracensi et archidiacono Cordubensi, duobus mille, prout hec per donorum et assignacionum litteras per dictum dominum regem Francie super hoc confectas lacius possunt apparere. Et insuper, prefati procuratores et ambaxiatores Castelle, tante liberalitatis et fraternalis dilectionis beneficium et gratiam cognoscentes et ei correspondere